

& necessario contingentium sit causa ceterorum; non autem si agatur de rebus, quae pendent ex merito Dei beneplacito, quae omnem naturae ordinem transgrediuntur, quale est opus Incarnationis, & praedestinatio Angelorum.

Obj. 1. Angeli in via habuerunt fidem Christi venturi, ut docent Theologi cum D. Thom. 1. p. q. 57. art. 5. ad 1. ergo & per Christum. Patet Cons. quia fidem quam antiqui Patres habuerunt de Christo, eam per Christum seu ex eius praevisionis meritis habuerunt. R. D. Ant. Angeli habuerunt fidem Christi venturi, ut Redemptoris, & Glorificatoris hominum, C. ut Redemptoris, & Glorificatoris sui, N. Nisi intelligatur quoad glorificationem accidentalem, & consummationem externam gloriae. Unde N. Cons. & ad probat. Disparitas est in solutione.

Inst. Si Angeli in via, & executione suae praedestinationis habuerunt fidem Christi venturi, decretum praedestinationis eorum supponebat decretum Christi venturi: ergo ruit tota huius Articuli doctrina. Prob. Sequela Ant. Praedestinatio non fit in tempore, nisi eo modo, quo fuit decreta ab aeterno; atqui in tempore praedestinatio Angelorum facta est ex concessis per fidem Christi venturi, saltem ut Redemptoris hominum, & Consummatoris gloriae Angelorum: ergo decretum praedestinationis eorum supponebat decretum Christi venturi. R. 1. N. Conseq. Quia etiam dato in sententia Sacrosanctarum, Christum prius Angelis fuisse praedestinatum, ut Consummator gloriae, & Redemptorem hominum; non tamen inde sequeretur, Angelos habuisse fidem, & gratiam essentialem per ipsum, siquidem, ut probavimus, omne eius meritum includatur, & consummetur in morte illius: non fuit autem praedestinatus, ut Redemptor mortuus propter Angelos, ut dictum est. Sed R. N. Sequelam, ad prob. D. Min. atqui praedestinatio Angelorum in tempore quoad gloriam essentialem facta est per fidem Christi venturi, N. quoad gloriam accidentalem, C. eodem sensu D. Cons. Explicatur. Praedestinatio Angelorum etiam ut in mente divina dupliciter potest considerari; uno modo absolute, & quoad substantiam, alio modo secundum habitum, quam habuit ad praedestinationem hominum, quorum futuri erant socii, & concives in gloria, ac redemptionis ministri. Sub prima consideratione, completa, & perfecta est praedestinatio Angelorum ante praevisionem Christi, & absque fide illius: quia tamen non subsistebat in nuda substantia justificationis, & glorificationis, sed ulterius eo rationem dictam erat perfectibilis per accidentalia dona; sub hac consideratione, completa est accidentaliter per Christum, & fidem Christi. Sic similiter in executione, ita ut fides Christi se habuerit tantum concomitanter in eorum justificatione, & glorificatione essentiali. Ex quo ulterius habes, quod licet acuti fidei, quem Angeli habuerunt in via, si secundum substantiam consideretur, & quatenus erat actus fidei aliorum mysteriorum, v. gr. Trinitatis, aliquis gradus gloriae essentialis correspondeat; secus tamen, si consideretur, ut terminatus ad Christum, quia sub hac ratione non ingrediebatur praedestinationem eorum essentialem, ut dictum est.

Obj. ultimo. Homines habent ex meritis Christi gratiam, & gloriam essentialem, quia est caput illorum; atqui est etiam caput Angelorum, ut probavimus: ergo R. D. Maj. quia est caput illorum praecise, N. quia est tale caput, scilicet principaliter ordinatum ad redemptionem, & justificationem eorum, C. Hoc autem non currit in Angelis.

Inferes: Ergo Christus non erit simpliciter caput Angelorum, sed secundum quid tantum; quod repugnat tot testimonio Scripturae, & Patrum: supra relatis. R. D. Illatum. Non erit simpliciter, id est, omnibus modis, & omnino perfecte, C. id est, vere, & absolute, N. licet enim sit de ratione capitis naturalis, ut vitam essentialem influat in membra, non tamen est de ratione capitis moralis. Patet in summo Pontifice respectu Ecclesiae, in Rege respectu Reipublicae. Unde, quamvis Christus non influat in Angelos gratiam, & gloriam essentialem, quia tamen in eos influat, & secundum gubernationem externam, & secundum communicationem donorum accidentalium, dicimus eum simpliciter, id est, vere, & absolute, caput Angelorum, licet non omnibus modis, nec ita perfecte sicut hominum.

Petes, utrum Christus, ut homo sit etiam caput irrationalium creaturarum? R. Negative, proprie loquendo; quia nihil supernaturale in ipsas influat, naturalia autem a Deo, ut auctore naturae, accipiunt. Unde Aug. Ep. 113. *Meruit nobis Christus, ut justificemur, non ut homines, vel liberi essemus.* Nec refert, quod in Scripturis dicatur: *Primogenitus omnis creaturae, & omnia ei subiecta esse.* Id enim potest intelligi, vel quia est finis omnis creaturae sensu quo alibi explicuimus; ad rationem autem capitis plus requiritur, quam influxus finalis, ut etiam diximus. Vel quia potestatem habet in omnem creaturam, unde magis proprie dicitur eorum Dominus, quam caput. Vel quia per ly *Omnis creaturae* intelligitur homo, qui participat aliquid de omni creatura, iuxta illud, *Predicavit Evangelium omni creaturae.* Insuper prima auctoritas, quae est Ep. ad Coloss. c. 1. in-

telligitur de Christo, ut est Filius Dei subsistens in natura divina, ut legenti textum patebit.

ARTICULUS IV.

Per quam gratiam Christus constituatur caput Ecclesiae?

Dico. (Hic art. 5.) Gratia Christi capitalis non est ipsa gratia unionis praecise, sed gratia habitualis ut connotans gratiam unionis. Est contra Vasquez, & quosdam Recentiores. Prob. (Ibid.) Ea gratia in Christo est capitalis, per quam influat, seu saltem constituitur potens influere in membra Ecclesiae gratiam, & justificationem, influxu scilicet morali per opera infinite meritoria; atqui illa gratia, per quam, &c. non est gratia unionis, sed gratia habitualis, ut connotat gratiam unionis. Ergo Maj. est certus ratio enim influxus in membra est id, quod maxime attenditur in capite, & quidem influxus moralis in hoc capite Christo: quia, licet influat etiam instrumentaliter physice, non tamen hoc influxu praecise constituitur caput, si quidem antiquorum Patrum caput fuerit, in quos non potuit influere instrumentaliter physice, cum tunc nondum existeret. Difficultas itaque est in Minori Prob. 1. Per id unumquodque agit, per quod est in actu, ita ut idem sit actus, quo est in actu, & quo agit, sic idem est calor, quo ignis est calidus, & quo calefacit, & per id agit in alios, per quod est eminentius illis in actu; agens enim est praestantius patiente; atqui Christus ut homo non constituitur in actu naturae scilicet supernaturalis per gratiam unionis, sed per gratiam habituales, quae intrinsece informatur, ut supra probavimus; & ratione gratiae unionis habet haec gratia maximam eminentiam, & talem, ad quam nulla pura creatura pertingere potest, ut etiam alibi diximus. Ergo. Hic sinit ratio Auctoris.

Prob. 2. prima Min. & magis illustratur ratio D. Thom. Per eam gratiam Christus ut homo influat, seu constituitur potens influere moraliter gratiam in membra Ecclesiae, quae est ipsi principium quo illis merendi, & condigne pro illis satisfaciendi, hoc est, eliciendi actus supernaturales infinite meritorios, & condigne satisfactorios; atqui Christo homini principium quo operandi non est gratia unionis, cum illum non informet physice, nec cum eo identificetur, sed gratia habitualis, a qua intrinsece informatur, & quae est principium operativum quo radicaliter, ut dictum est; infinitatis autem in valore operum, & condignitatis in satisfaciendo principium formale est gratiae ipsius conjunctio ad gratiam unionis: ergo illa gratia, per quam &c. non est gratia unionis praecise, sed gratia habitualis, ut connotans gratiam unionis.

Ultra hanc praecipuum capitis prerogativam, aliis etiam duabus gaudet gratia personalis Christi respective ad gratiam hominum, & Angelorum. Est enim prior, non quidem tempore, sed dignitate, & eminentia, utpote finis: est etiam perfectior, utpote maximam habens plenitudinem, ut dictum est.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Gratia unionis est prior, & perfectior gratia habituali, & gratia aliarum creaturarum; & ab illa, non a gratia habituali derivatur valor meriti, & satisfactionis Christi pro hominibus utpote infinitis. Atqui haec tres conditiones constituunt rationem capitis, ut dictum est: ergo R. D. Maj. per singulas partes. Gratia unionis est prior, & perfectior gratia habituali, simpliciter, & in ordine hypostatico, C. Maj. secundum quid, & in ratione principii operativi quo, N. Maj. Prioritas enim, & perfectio sub illa ratione soli gratiae habituali Christi competit, quae intrinsece informat animam Christi, & in ea habet rationem naturae in ordine supernaturali. Prioritas autem, & perfectio in ratione principii operativi maxime attenditur in gratia capitis, quia caput est in genere activi, & operativi in membra, ut patet. Similiter D. ultimam partem Maj. Omnis valor meriti, & satisfactionis Christi derivatur a gratia unionis remotè tanquam a praesupposito, & connotato, C. Maj. proxime tanquam a principio effectivo, N. Maj. & intellecta Min. ad sensum Maj. N. Cons. Verum est opus, quod omnis fons, & origo, unde promanat valor infinitus in operibus Christi, sit ipsa gratia unionis, seu persona divina unita humanitati; quia tamen non est operativa quo illorum operum, sed tantum conditio constituens agens ut quod, non potest nisi mediante principio quo hanc infinitatem operibus communicare, nec ideo esse gratia capitis, de cuius ratione est, quod sit elicitiva quo illorum meritorum. Id autem praestat gratia habitualis, ut connotat gratiam unionis. Et 1. cum habeat rationem naturae in ordine supernaturali, est radicaliter operativa quo actionum supernaturalium. 2. quia ex conjunctione ad Verbum haurit supereminentiam, & quandam dignitatem moraliter infinitam, & illam communicat actionibus ab ipsa procedentibus. Ex quo colliges, quod, il-

licet gratia habitualis Christi sit ejusdem speciei cum nostra in esse physico, non tamen in esse moris; & quod gratia purae creaturae, quantumvis perfectior, non possit unquam ipsam constituere caput aliorum: siquidem hanc eminentiam habeat gratia Christi ex conjunctione ad Verbum.

Obj. 2. Si Christus non haberet gratiam habituales, foret nihilominus adhuc caput nostrum: ergo. Prob. Ant. Gratia habitualis non est ipsi absolute necessaria, ut possit elicere actus meritorios, ut dictum est: ergo R. D. Ant. Si Christus &c. foret adhuc caput nostrum ratione personalitatis divinae, seu gratiae unionis, N. per illam enim non constituitur operativus meriti; ratione auxilii transeuntis, seu alterius doni superadditi supplementis vices gratiae habitualis, C. Unde ubi habetur ipsa gratia habitualis, qua est connaturaliter operativus, & influxivus, a fortiori per illam constituitur caput.

Obj. 3. Secundum doctrinam traditam sequitur, quod gratia Christi personalis, & capitalis sit eadem realiter sub diversa ratione; personalis quatenus sanctificat Christum, capitalis quatenus constituit eum potentem influere in alios; atqui id dici non potest: ergo. Prob. Min. Gratia ordinata ad aliorum sanctificationem non est gratia gratum faciens, sed gratis data: ergo R. N. Min. Sicut enim est idem calor, quo ignis est actu calidus, & quo potens est alia calefacere; ita de gratia respectu Christi, ut dictum est in prob. Concl. Ad prob. D. Ant. Gratia primario ordinata ad aliorum sanctificationem non est gratia gratum faciens, C. secundario tantum, N. Ant. & Conseq. Patet.

Inst. Idem non potest esse particulare & universale; atqui gratia personalis est particularis, capitalis est universalis: ergo R. D. Ant. Idem sub eadem ratione non potest esse particulare & universale, C. sub diversa ratione, N. Maxime, si agatur ut hic de universalitate in causando: sic idem calor ignis, quatenus eum actuat, est particularis; quatenus eum constituit potentem alia calefacere, est universalis.

Repones. In capite nostro naturali, scilicet Adamo, aliud fuit peccatum ejus personale, & aliud originale, quo alios infect: ergo similiter alia in Christo gratia, &c. R. N. Ant. Idem enim actuale peccatum Adae, quatenus ipsis personam afficit, dicitur personale; & quatenus est causa, cur natura corrupta privata iustitia originali nobis communicetur, dicitur in ipso Adam peccatum originale.

ARTICULUS V.

Variae quaestiones circa praesentem materiam ex ceteris articulis D. Thom. breviter expenduntur.

Petes 1. Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo? R. (Ibid. art. 6.) esse caput secundum intrinsecum influxum gratiae, & justificationis est proprium Christo; quia, ut diximus, hoc habet ex gratia habituali ut conjuncta Verbo. Esse (Ibid.) autem caput secundum externam gubernationem potest aliis convenire a Christo, sed differenter. Christus enim est hoc sensu caput secundum omnem locum, tempus, & statum; alii autem homines dicuntur capita secundum specialia loca, sicut

DISSERTATIO X.

DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI

D. Thom. Quaest. 10.

Mittimus hic q. 9. D. Thom. in qua quaerit 1. An Christus habuerit scientiam creatam ut sic? 2. An beatam? 3. An intuitam? 4. An acquisitam? quia hanc, & duas sequentes Dissert. a tribus ultimis particularibus incipiemus. Quoad vero 1. articulum huius Quaestionis nonne, S. Doctor in illo articulo non loquitur de scientia strictè sumpta, sed generaliter sumpta pro quacunque creatura intellectus cognitione. Pro quo suppono ut certum de fide, fuisse in Christo scientiam; seu intellectionem creatam. Definuit enim contra Monothelitas in 6. Synodo Ad 4. omnia in Christo esse duplicia, id est, duas naturas, & unamquamque proprietatem naturalem habere. *humanam omniam, quae humana sunt absque ullo peccato.* Ergo & intellectionem creatam. Patet enim ex Script. Joann. 8. dicit Christus de Patre, *Scio eum, & sermonem ejus sermo;* servabat autem sermonem ejus per actiones creatas ut homo: ergo sciebat eum per scientiam creatam. Insuper oravit Christus, *meruit, & alia multa fecit ut homo;* quae sicut non sine actu voluntatis creatae, ita nec sine actu intellectus creati fieri poterunt.

Sua datur ratione. (Hic q. 9. art. 1. o.) Christus assumpsit

Episcopus suarum Ecclesiarum; vel secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesiae, scilicet tempore sui Pontificatus; vel secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. Altera est differentia; quod Christus sit hoc sensu caput Ecclesiae propria virtute, & auctoritate; alii vero dicuntur capita, in quantum vicem gerunt Christi, iuxta illud 2. Cor. 5. *Pro Christo legationem fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.*

Dices: Concionatores, & Sacramentorum Ministri causant gratiam interius: ergo R. quoad Concionatores, eos causare gratiam persuadendo exteriori, non autem influendo interius. Quoad Ministros Sacramentorum, influere quidem gratiam non ratione virtutis sibi insitae, sed ratione Sacramenti, quod administrant, Christus autem virtute sibi insita ex conjunctione ad Verbum.

Petes 2. Utrum Lucifer princeps demoniorum sit caput omnium malorum? (Ibid. art. 7. o.) Non esse caput malorum, influendo interius in eorum voluntatem: cum enim omnis actus elicitus voluntatis sit naturalis, & non possit quoad hoc violentiam pati, nihil ipsam causare interius effective potest, nisi ipsa voluntas, vel naturae seu ipsius voluntatis Actor, qui est Deus. Est autem Diabolus caput malorum quoad externam gubernationem, quatenus per suggestiones, & tentationes eos reducendo ad peccatum adducit ad suum finem, qui est aversio a Deo.

Dices 1. Diabolus incitat ad malum, non solum per suggestiones, & tentationes exteriores, sed etiam interiores: ergo non est solum caput malorum quoad externam gubernationem. R. per externam gubernationem Diaboli S. Doctorem non eam solum intelligere, quae est visibilis, qualis est Principum, & Praelatorum, sed illam omnem, quae est extra essentialiam animae, & voluntatis, in quam Diabolus illabi non potest, ut docetur 1. 2. q. 9. & q. 80. art. 1.

Dices 2. contra 2. partem: non omnes peccant ex suggestionibus Diaboli, sed aliqui ex proprio motu voluntatis: ergo R. N. Conseq. (Ibid. ad 2.) Quia diabolus primum omnium peccavit, & peccatum suum velut signum aliis omnibus sequendum proposuit. Ad rationem vero capitis secundum externam gubernationem sufficit, si isto modo alios in suum finem adducat, ut patet in Gubernatore, vel Duce exercitus, qui non semper suggerit singulis subjectis, ut suae voluntati obediant, sed proponit omnibus vexillum militiae, vel suae voluntatis signum, ad cuius sequelam aliqui excitantur inducti, alii nullo persuadente, sed propria sponte.

Utrum vero Adam possit etiam dici caput malorum; videtur; quod non. Quia, licet mediante generatione tradatur in posterum peccatum originale, a quo actualia derivantur, id tamen non fit ex intentione ipsius directae.

Petes 3. Utrum Antichristus possit etiam dici caput omnium malorum? R. (Ibid. art. 8. o.) esse caput non quoad prioritatem temporis, cum sit tantum in fine temporum venturus; neque quoad influxum, cum in peccatores ipso anteriores influere non possit; sed tantum quoad perfectionem, & eminentiam malitiae, ita ut omnes mali, qui eum praecesserunt, sint quasi imago, & figura Antichristi.

perfectam humanitatem; atqui ad perfectionem humanitatis requiritur, quod acuti intelligat intellectione sibi propria, & naturali: ergo. Prob. Min. 1. Natura humana est in potentia ad intellectionem; atqui quod est in potentia ad aliquid, imperfectum manet, si non reducatur ad actum: ergo 2. Intellectus est propter intellectionem creatam ut finem, omnis enim potentia est propter suam operationem; atqui potentia frustrata suo fine est imperfecta: ergo.

Utrum autem intellectus Christi humanus potuerit de potentia Dei absoluta intelligere per incretam Dei intellectionem? R. negative. Patet ex Ep. Agathonis Papae, relata act. 4. VI. Synodi, ubi sic habetur: *Non potest Angelica natura divinam habere voluntatem aut humanam, neque humana natura voluntatem Dei, vel Angelis:* Ergo nec Dei cognitionem, cum eadem sit ratio de cognitione, ac de voluntate. Prob. ratione. Intelligere est actus vitalis, seu est vivere, & quidem gradu perfectissimo; atqui implicat, intellectum creatum vivere vita, seu actu alieno: ergo. Patet Min. quia vivere est moveri ab intrinseco tanquam a principio radicali vitae; implicat autem naturam di-



vinam uniri humanitati ut principium radicale vite ejus, aliis debere ipsi uniri ut forma physicè eam informando, quod repugnat: ergo. De his latè Joannes a S. Thom. Disp. 11. art. 1. Et nos de beatitudine art. 4. §. 1. Requirit ibi.

## ARTICULUS I.

*Utrum scientia beata fuerit in Christo, & quando?*

Sicut in Christo triplicem agnovimus gratiam, unionis scilicet, personalem, & capitalem, ita & scientiam triplicem agnoscimus, utpotè beatam, quæ est visio Dei beatifica, infusam, & acquisitam. De prima modò est Questio. Undè

Dico 1. Christus habuit scientiam beatam. Colligitur (*Hic q. 9. art. 1. o.*) ex variis Scripturæ locis. Joann. 17. dicit Christus: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Idem repetit c. 12. & 14. Item ib. c. 3. sic habetur: *Nemo ascendit in celum, nisi qui descendit de celo; Filius hominis, qui est in celo, id est, in Paradiso, seu statu beatitudinis.* Idem colligitur maximè ex verbis præcedentibus ejusdem cap. ubi Christus volens persuadere Nicodemo sibi ut testi oculato esse credendum, dicit ipsi: *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur:* atqui loquebatur, & testabatur ut homo: ergo sciebat, & videbat ut homo. Quomodo enim potuisset testari ut homo, si non vidisset ut homo? siquidem vox testimonii debeat correspondere cognitioni. Item Joann. 8. dicit Christus de Patre: *Solo eum, & sermonem ejus servo.* Ut homo sermonem servabat: ergo ut homo eum sciebat: & quidem non solum cognitione quoad an est, quam potuit habere per scientiam infusam, sed cognitionem quoad quid est; scientia enim est de quidditate: talis autem cognitio Dei quidditativa non habetur nisi per scientiam beatam.

Suadet etiam ratio, petita ex unione hypostatica. (*ib.*) Ratione unionis hypostaticæ Christus constituitur instrumentum excellens per modum capitis influentis gratiam, & gloriam in membra Ecclesie: assumitur ad supremum esse, & intimè conjungitur causæ, ac fonti totius gratiæ: atqui hoc triplici titulo exigebat scientiam beatam: ergo. Prob. Min. ex 1. titulo. Id, quod est in potentia, reducitur ad actum per id, quod est in actu: ergo decebat eum, qui influit gloriam per modum capitis, & instrumenti excellentis, eam actu in se præhabere. Nec refert, de ratione instrumenti non esse, ut habeat actu formam, quam producit, quia agit in virtute causæ principalis. Etsi enim id verum sit de instrumento ut sic, si tamen agatur de instrumento excellentissimo, quod sit capax illius formæ, ut est Christus beatitudinis, convenit ut illam actu in se præhabeat. Undè S. Thom. non infert quidem, hoc esse necesse; sed quod oportuit, quia decebat. Prob. Min. ex 2. titulo. Decebat naturam ad supremum esse elevatam ad supremam operationem elevari; atqui hæc est visio beata: ergo. Prob. (*Hic q. 7. art. 1.*) Min. ex 3. titulo. Quanto aliquid receptivum est propinquius causæ influenti, tantò magis, & perfectius participat ejus influxum: ergo vi conjunctionis intimæ Deo fonti totius gratiæ per unionem hypostaticam Christus participavit perfectissimam gratiam, quæ est gratia consummata per gloriam. Confirm. Quod dignius est, quod excellentius, concedendum est Christo, si non repugnet fini Incarnationis; atqui visio beatifica est quid dignius, & excellentius, nec fini Incarnationis, scilicet redemptioni generis humani, repugnat; sufficiebat enim ad redemptionem generis humani, Christum fuisse viatorem quoad gloriam corporis passibilis: ergo.

Dico 2. (*Hic q. 34. art. 4.*) Christus a 1. instanti suæ conceptionis habuit scientiam beatam. Prob. (*ibid. in a. s. c.*) ex illo Ps. 64. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti,* quod secundum Glossam refertur ad humanam Christi naturam; atqui humanitas Christi a primo instanti suæ creationis assumpta fuit a Verbo: ergo. Prob. etiam ex rationibus præcedentibus: Visio beata competeat Christo homini, quia vi unionis hypostaticæ erat caput Ecclesie, assumptus erat ad esse supremum, & intimè conjunctus causæ gratiæ; atqui hæc omnia habuit in primo instanti conceptionis per unionem hypostaticam: ergo. Confirm. pariter ut supra. Quod dignius, quod excellentius est, fini Incarnationis non repugnans, concedendum est Christo; atqui dignius, & excellentius est animæ Christi ad instanti conceptionis fuisse beatam, quam aliquando beatitudine caruisse, neque hoc fini Incarnationis repugnat, ut dictum est: ergo.

Obj. 1. Concedere debemus Christo id, quod est perfectius; atqui perfectius est habere gloriam ex meritis, quam sine meritis, & merita Christi non nisi morte ejus fuerunt consummata, ut dictum est superius: ergo. Undè Luc. 24. dicitur: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et Apocal. 5. dicitur Christus, qui occisus est, accepisse gloriam, & divinitatem. Et Joann. 17. *Clarifica me tu, Pater, sicut tenuisti;*

*claritate, quam habui, prius quàm mundus esset apud te.* R. D. Maj. (*Hic q. 19. art. 2. o.*) concedendum est Christo id, quod perfectius est, nisi sit tale quid, cujus carentia magis dignitati Christi, & perfectioni præjudicet, quam per meritum accrescat, C. Maj. secus, N. Maj. undè nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec divinitatem meruit; quia, cum meritum non sit, nisi ejus, quod nondum habetur, oporteret, quòd Christus aliquando istis caruisset, quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quam augeat meritum. Ad auctoritates Scripturæ R. has & similes intelligendas esse, vel de corporis gloria, vel de resurrectione, vel de manifestatione divinitatis, & nominis exaltatione.

Obj. 2. Summum gaudium stare non potest cum summa tristitia; atqui Christus tempore Passionis summè tristatus est, juxta illud Mart. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem:* ergo tunc gaudium beatificum non habuit, adeoque nec visionem beatam, ex qua tanquam proprietas necessario resultat. R. juxta sententiam communem ex D. Thom. (*Hic q. 46. art. 8. in 3. d. 14. q. 2. art. 3. & alibi.*) D. Maj. Summum gaudium stare non potest cum summa tristitia naturaliter, C. Maj. sunt enim contraria; supernaturalitèr, Subdistinguo: Si sint in eadem potentia circa idem omnino objectum, C. si sint in diversis potentis, & circa diversa objecta, seu idem objectum sub diversa ratione, N. & D. Min. ad sens. Maj. N. Conseq. Igitur anima Christi secundum partem superiorem summè gaudebat ex visione beatifica, & secundum partem inferiorem summè tristabatur de peccatis hominum, & sua passione. Item summè gaudebat de passione, ut erat utilis redemptioni hominum, & tristabatur de illa, ut erat nature dissentanea; quod non repugnat de potentia Dei saltem absoluta. Cujus ratio a priori est; quia secundum Philosoph. 7. Ethic. omnis tristitia impedit delectationem per quamdam redundantiã, quatenus nocentium unius potentia in aliam relluit; talis autem redundantiã subiciebatur imperio, & liberæ voluntati Christi: undè tunc impedivit, ne gaudium partis superioris diffunderet in inferiorem; & e converso, ne dolor inferioris irrueret in superiorem.

## ARTICULUS II.

*Utrum anima Christi per scientiam beatam comprehenderit divinam essentiam; et saltem eam claris videret, quam quilibet alia creatura?*

Dico 1. (*Hic q. 19. art. 1. o.*) Christi anima non comprehendit, nec comprehendere potest divinam essentiam. Ratio est; quia comprehendere divinam essentiam est eam cognoscere in quantum cognoscibilis est; atqui anima finita, qualis est anima Christi non potest cognoscere divinam essentiam in quantum est cognoscibilis; est enim infinite cognoscibilis: ergo. Undè damnata est ut erronea in Concil. Basilen. Sess. 22. antequam dissolveretur, hæc propositio Augustini de Roma Archiepiscopi Nazareni: *Anima Christi videt Deum tam clarè, & intensè, sicut Deus videt seipsum.* Et hæc damnatio approbata fuit a Nicolao V. qui successit Eugenio IV.

Dices: Isidorus c. 39. aliàs 42. in Exod. dicit *Sola sibi integrè nota est divinitas, & humanitas suscepta.* Et ne putetur error Typographi, notat Isidori Scholiastes octo manuscripta sic habere: Ergo, Respondent quidam, legendum esse *humanitas suscepta:* Verum, licet ita legatur l. 1. de Summo bono c. 3. qui locus malè citatur ad marginem D. Thom. legitur tamen probrè referimus loco cit. in Exod. Undè R. (*ibid. ad 1.*) Isidorum sic loquutum fuisse propter excellentissimam cognitionem Christi, integramque dixisse, non quòd fuerit divinitatis comprehensiva, sed quòd fuerit maxima inter possibiles de lege Dei ordinaria. Sylvius existimat, id posse intelligi de humanitate ratione divinitatis, secundum interpretationem D. Thom. in 3. d. 14. q. 1. art. 2. quæstione. 1. ad 1. Pater Nicolai opinatur, Isidorum hoc dixisse ex opinione apud aliquos tunc recepta, quòd per intellectum divinum intelligeret anima Christi. De quo art. præced. Plura huc spectantia require Tract. de Deo. Dissert. 4. art. 9.

Dico 2. (*ib. art. 4. o.*) Anima Christi claris videt divinam essentiam, quam ultra alia creatura. Ratio est; quia perfectio visionis Dei attenditur penes majorem intensionem luminis gloriæ, ut traditur de beatitudine: atqui Christi animæ ratione unionis ad Verbum lumen gloriæ perfectissimum fuit communicatum, licet tamen non ita perfectum, quin de potentia Dei absoluta poterit dari perfectius, utpotè quia finitum, ut dicit Auctor ad 3. Ergo.

Dico 3. Fuit tamen visio Christi beata ejusdem speciei cum visione Beatorum. Colligitur ex Ep. ad Rom. 8. ubi dicitur *Coheredes Christi.* Et pater, quia procedit a potentia, & lumine ejusdem speciei ac nostra, versaturque circa idem formale objectum.

AR-

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus per scientiam beatam cognoscat omnia in Verbo?*

Dico 1. (*ibid. art. 2. o.*) Christus per scientiam beatam non videt omnia possibilia in Verbo. Prob. (*ibid.*) Cognoscere omnes effectus possibiles in causa vi cognitionis ipsius causæ, est ipsam causam comprehendere; atqui anima Christi, ut dictum est, non potest Deum, qui est causa omnium possibilium, comprehendere: ergo. Prob. Maj. Cognoscere omnes effectus possibiles vi cognitionis causæ, est cognoscere quousque talis causa potest, & non ultra: ergo est adequatè eam cognoscere, adeoque comprehendere. Utrum autem per scientiam infusam extra Verbum omnia possibilia cognoverit? Respondemus infra negativè, dum de scientia infusa.

Dico 2. (*ibid. art. 2. & 3. o.*) Anima Christi per scientiam beatam cognovit in Verbo omnia præsentia, præterita, & futura, nedum habitualitèr, sed etiam actualitèr. Prob. 1. pars: (*ibid. art. 2. o.*) Anima Christi per scientiam beatam cognovit omnia, quæ ad suum statum pertinent; sed existentia secundum quantumque temporis differentiam ad eum statum pertinent: ergo. Maj. patet ex dictis in Tract. de Deo Dissert. 4. art. 10. §. 2. Hæc enim scientia conceditur omnibus Beatis, cum debeat satiari omnis naturalis eorum appetitus: ergo a fortiori Christo. Prob. Min. Christus qua homo est caput Ecclesie, finis universi, Dominus cæli, & terræ, Judex vivorum, & mortuorum: atqui pertinet ad caput habere notitiam membrorum, ad finem intellectualem cognoscere media ad se ordinata, ad Dominum cognoscere subditos suos, ad Judicem cognoscere omnia, quæ spectant ad suum Tribunal, quales sunt omnes, & singule actiones, & cogitationes. Et, licet aliquæ subsecuturæ sint extremum judicium, quia tamen pertinent, vel ad præmium in Beatis, vel ad poenam in damnatis, cognosci debent a Judice, cujus est vel poenas imponere, vel præmia dispensare.

Secunda pars est contra quosdam, qui propter rationes solvendas in argumentis volunt, animam Christi non cognoscere omnia actualitèr, seu uno actu omnia simul, sed quasi habitualitèr, hoc sensu quòd omnia in Verbo sint ita præsentia, ut anima Christi possit quodlibet eorum quando placuerit cognoscere, licet non possit omnia simul; sicut dicitur quis perfectus Theologus, qui, licet omnes conclusiones Theologiæ simul non contempletur, potest tamen pro libito, quam voluerit, contempleri. Contra quos

Prob. 2. pars conclusionis: 1. Ex Aug. qui ultimo de Trinit. c. 16. de homine in statu Beatitudinis loquens, & a fortiori de Christo, sic ait: *Non erunt volubiles nostræ cogitationes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.* Prob. 2. ratione. Scientia beata, qua Christus præterita, præsentia, & futura cognoscit, mensuratur æternitate, quæ nullam successione, aut mutationem admittit: undè omnes actiones, & intellectiones Angelorum, & hominum, licet quoad durationem propriam sint successivæ, sunt tamen præsentès, simul in Verbo secundum nunc æternitatis: ergo. 3. Christo debet concedi omnis perfectio possibilis; atqui, quòd omnia in aliqua temporis differentia existentia cognoscat simul, est perfectio possibilis, ergo. (1. p. q. 12. art. 10.) Prob. Min. Quòd intellectus noster non possit omnia, seu plura simul cognoscere, provenit ex eo quòd illa per plures species cognoscat; atqui Christus omnia in Verbo per unam speciem cognoscit: ergo. Confirm. hæc ratio. Si esset in casu posito aliqua repugnantia, idè quia cognitio Christi deberet esse infinita, aut quia ipse Christus debuisset habere attentionem infinitam; atqui neutrum sequitur ex sententia nostra, ut patebit ex sol. object. ergo. Non est ratio, cur illè potius cognoscat a Christo, quam iste cum omnes æqualiter represententur in Verbo. Ergo. Quòd autem hæc nostra assertio sit D. Thom. patet ex eo, quòd art. præced. æquiparatur scientiam Christi beatam scientiæ visionis Dei quoad naturam scibilem; atqui Deus scientia visionis omnia simul in aliqua temporis differentia existentia actualitèr cognoscit: ergo.

## Solvuntur Objectiones contra 1. Conclusionem.

Obj. 1. Ex cognitione omnium possibilium in Verbo non sequitur comprehensio divinæ omnipotentia: ergo ruit fundamentum nostre conclusionis. Prob. Ant. 1. Omnia possibilia possunt cognosci in Verbo majori, & minori claritate; atqui minori claritate cognita non comprehenduntur: ergo. Prob. Maj. Tum quia singula possunt cognosci majori, & minori claritate: ergo, & omnia collectivè: tum quia, quæ continentur virtualitèr in Angelo inferiori, minori claritate cognoscuntur ab ipso, quam ab Angelo superiori; & ab isto, quam a Deo: ergo

Prob. 2. primum Ant. Ex cognitione omnium, quæ formalitèr in Deo continentur, v. gr. omnium attributorum, non sequitur comprehensio illius: ergo nec ex cognitione omnium, quæ eminentèr in ipso continentur, scilicet possibilium.

Prob. 3. Ex cognitione omnium possibilium extra Verbum non sequitur comprehensio divinæ omnipotentia: ergo nec ex cognitione eorum in Verbo. Prob. 4. Ex cognitione omnium, quæ Deus videt per scientiam visionis, non sequitur illius scientiæ comprehensio: ergo. Prob. 5. Ex cognitione omnium possibilium in Verbo non sequitur comprehensio intensiva illius, sed tantum extensiva, quæ non repugnat: ergo. Prob. 6. Cognita omnipotentia sub omni connexione ad creaturas, restat adhuc cognoscibilis sub connexione identitatis cum cæteris attributis: ergo.

R. N. Ant. Ad 1. Prob. N. Maj. Ad cujus 1. Prob. N. Cons. Disparitas est, quòd nulla sit repugnantia singulos effectus divisivè posse cognosci in divina essentia secundum plures, vel pauciores rationes, adeoque minori, vel majori claritate, minori, vel majori penetratione divinæ essentia: repugnat autem, omnes collectivè cognosci, nisi cognoscantur omni modo, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad omnes modos, & rationes possibiles; aliàs non omnia omnino possibilia cognoscerentur contra hypothèsim conclusionis: posito autem quòd omnes sic omnino cognoscantur, cognoscitur per consequens omnipotentia Dei omni modo, quo est participabilis, nec majori claritate penetrari potest, adeoque comprehenditur. Ad 2. probat. ejusdem Maj. similiter N. Conseq. Quia cognitio effectuum in Angelo inferiori ut in causa, ut sit adequata, non debet esse major, quam cognoscibilitas istius Angeli; & cum hæc non sit maxima, & summa, potest dari altera major, & clarior. At cognitio omnium effectuum possibilium in omnipotentia Dei debet adquare illius omnipotentia cognoscibilitatem, qua major dari non potest, utpotè summa, & infinita. Ad 2. Prob. principalis Ant. N. Conseq. Disparitas est, quòd ea, quæ formalitèr continentur in Deo, possunt cognosci quidditativè, absque eo quòd necessarium sit ea cognosci comprehensive; quia sunt de apparentibus manifestè, ita ut, visa essentia, quamvis debili, & finito modo, ea, quæ formalitèr in Deo insunt, cognoscantur. At verò, quæ eminentèr tantum continentur in Deo ut in causa, non possunt cognosci quidditativè, nisi simul & comprehensive, quia non sunt de manifestè apparentibus, sed latent in causa; undè eorum cognitio non habetur nisi vi penetrationis causæ: ideoque ut omnes effectus possibiles in causa eminentèr contenti cognoscantur, requiritur adequata illius causæ penetratio, adeoque & ejus comprehensio.

Ad 3. N. Conseq. Non enim infertur comprehensio causæ nisi ex cognitione effectuum in ipsa, & ex ipsa; quia nisi isto modo cognoscantur, causa non cognoscitur quantum est cognoscibilis; quòd requiritur ad eum comprehensionem. Ad 4. N. iterum Conseq. Disparitas est, quòd omnes effectus existentes, aut futuri non sint terminus adequatus scientiæ visionis, cum per eandem scientiam possit Deus plures producere, & videre: at verò omnes effectus possibiles collectivè sunt terminus adequatus omnipotentia Dei. Ad 5. D. Ant. Ex cognitione omnium possibilium in Verbo non sequitur comprehensio intensiva illius explicitè, transeat; implicitè, N. Non possunt enim attingi omnes effectus possibiles in causa infinita, nisi omnis, & infinita ejus participabilis penetraretur adequatè, quòd est eam comprehendere, & ad quòd requiritur lumen infinite intensionum. Ad 6. N. Ant. Videns enim omnes creaturas possibiles in omnipotentia Dei illam intuitivè cognoscit: implicat autem eam intuitivè cognosci, nisi cognita connexione, quam habet cum cæteris attributis quibuscum identificatur.

Inst. contra 4. respons. Omnes effectus possibiles non sunt terminus adequatus cognoscibilitatis omnipotentia; restant enim adhuc cognoscendi effectus impossibiles: ergo. R. N. Ant. Ad probat. dico, effectus impossibiles non posse cognosci neque in se, neque in omnipotentia Dei, sed cognosci per effectus possibiles, sicut negationes cognoscuntur per formas oppositas.

Obj. 2. Anima Christi videt per scientiam beatam quidditativè omnipotentiam Dei: ergo videt in ea omnes effectus possibiles. Prob. Conseq. Cognoscens quidditativè aliquam essentiam, debet cognoscere omnia ejus essentialia, sine quibus stare non potest; atqui omnes creaturæ possibiles ita sunt omnipotentia essentialia, ut una deficiente non stet eadem omnipotentia: ergo. Prob. Min. Unica creatura possibilis v. gr. una formica deficiente, omnipotentia non esset participabilis eo modo, quo nunc, nam de potente producere hanc formicam fieret non potens, de continente illam non continens: ergo. R. N. Conseq. Ad Prob. D. Maj. Cognoscens quidditativè aliquam essentiam debet cognoscere omnia ejus essentialia, formalitèr in ea contenta, C. virtualitèr eminentèr in ea contenta, N. hoc enim



enim pertinet ad comprehensionem. Stat autem quod quis videt quiddam hanc omnipotentiam, & non penetret illam, quod est comprehendere; quia juxta principium D. Thom. infinitum nequit a finito adæquari, bene tamen infinitum potest a finito attingi. Porro ratio radicalis disparitatis datæ inter formaliter, & virtualiter contenta hæc est, quod, quæ in Deo sunt formaliter, eandem habent cognoscibilitatem, utpotè ejusdem actualitatis actus puri, & ejusdem indivisibilis esse: unde probant Thomistæ contra Scotistas, unum attributum non posse videri sine alio. At verò, quæ sunt in Deo virtualiter tantum, scilicet possibilia, habent diversam cognoscibilitatem; quia juxta inæqualem perfectionem creaturæ possibilis distinguitur inæqualis cognoscibilitas in potentia, qua virtualiter existit; magis enim relucet virtus divina in perfectiori creatura, quam in imperfectiori, ita ut qui perfectiorem seu plures penetrat in divina virtute, debet habere perfectiorem visionem, & perfectius lumen.

Obj. 3. Ad Coloss. 2. dicitur de Christo: *In quo sunt omnes thesauri sapientie*: ergo. R. hæc verba in tota sua latitudine verificari de Christo ratione divinitatis. Confer, quæ dixi in Tract. de Deo Dissert. 4. art. 9. & 10. §. 4.

*Solvuntur Objectiones contra 2. Conclusionem.*

Obj. 1. ab auctoritate. Marc. 13. dicitur: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater*. Ps. 74. *Quæ ignorabam interrogabam me*. Jerem. 11. *Non cognovi quia cogitaverunt super me consilia*. Ex Patribus. Cyrillus in pluribus locis, & præsertim l. 9. Thesauri c. 4. Verbum, inquit, *humanam ignorantiam suscepit, & ut homo ignorat diem judicii: imò & ignorabat, ubi corpus Lazari erat*. Similia habent Hil. Athanas. Nazianz. Item Ambros. l. de Incarn. c. 7. dicit de Christo, quod *expers agnitionis infantia per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorabat*: Ergo.

R. ad 1. (*Hic art. 2. ad 1.*) quod Christus dicatur ut homo noscitur diem judicii, quia non facit scire, nec potestatem revelandi accepit a Patre, sicut Confessarius scire se noscitur ea, quæ audivit in confessione, quia non dicit ut revelet. Item sicut a contrario sensu legitur Gen. 22. *Nunc cognovi quod times Deum*; id est, nunc cognoscere te feci. Dicitur autem Pater scire, quia hujusmodi cognitionem tradidit Filio. Unde in hoc ipso, quod dicitur *nisi Pater*, datur intelligi, quod Filius cognoscit, & non solum quantum ad divinam naturam, sed etiam quantum ad humanam; quia, ut Chrysost. argumentatur homil. 71. in Matth. si Christo homini datum est; ut sit Judex, & sciat, qualiter oporteat judicare, quod est majus, multo magis datum est ei scire, quod minus est, scilicet tempus judicii. Ex hoc autem quod dicitur, *nec Angeli*, non sequitur, quod Angeli, sicut Christus sciverint sine facultate revelandi, quia non est necesse, quod sit omnimoda paritas. Origenes tamen hom. 30. in Matth. hunc locum exponit de Christo secundum corpus ejus, quod est Ecclesia, quæ hoc tempus ignorat. Quidam autem dicunt, hoc intelligendum de filio Dei adoptivo; non de filio naturali. Ad locum Ps. sensus est; *quæ ignorabam*, id est, quæ non feci, seu quorum non sum conscius. Ad locum Jerem. *Non cognovi*, id est, dissimulavi, non manifestavi me scire, &c. Ad Cyrillum: sensus ejus est, quod Verbum assumpserit naturam ignorantem, id est, eam naturam, quæ secundum rationem suæ speciei est ignorans, non tamen quod eam assumpserit quæ ignorantia: item quod Christus dispensatione quadam ita se gesserit, tanquam multa ignoraret; patet ex verbis sequentibus in Cyrillo. Eodem modo intelligendi sunt Hilarius, Athanasius, Nazianz. Ad Ambros. dico, eum tantum velle Christum didicisse, & proficisse per scientiam experimentalem, quo nempe modo res ab initio non sciebat, licet alio modo sciret, nempe scientia beata, & infusa.

Obj. 2. Si anima Christi omnia in quacumque differentia temporis existentia cognosceret, sequeretur 1. quod esset æquæ perfecta, ac scientia visionis Dei, 2. quod illam comprehenderet, utpotè comprehendens objectum ejus adæquatam: atqui neutrum potest admitti: ergo. R. D. primam Sequelam: (*Hic art. 2. ad 3.*) esset æquæ perfecta extensive, seu quoad numerum scibilem, C. intensive, seu quoad intensionem, & claritatem visionis, N. Quantitas scientiæ non solum attenditur secundum numerum scibilem, sed etiam secundum claritatem cognitionis. Quamvis igitur scientia animæ Christi, quam habet in Verbo, perficeretur scientiæ visionis, quam Deus habet in seipso quantum ad numerum scibilem; scientia tamen Dei excedit in infinitum quantum ad claritatem cognitionis scientiam animæ Christi; quia lumen in creatum divini intellectus in infinitum excedit lumen creatum quocumque, receptum in anima Christi.

Inst. S. Thom. immediate post verba relata addit: *Licet, absolute loquendo, scientia divina excedat scientiam animæ*

*Christi, non solum quantum ad modum cognoscendi, sed etiam quantum ad numerum scibilem, ut dictum est*. Ergo. R. S. Thom. in his verbis loqui de scientia Dei in tota sua latitudine, prout est simpliciter intelligentiæ, & visionis; est enim utraque una simplex scientia etiam absque virtuali distinctione, habens idem objectum formale, & scilicet divinam essentiam, & solum ex connotatione diversi objecti materiali distincta. Verum est ergo, quod, absolute loquendo, scientia divina excedat scientiam animæ Christi etiam quantum ad numerum scibilem, quia illa attingit non solum omnia existentia, sed etiam omnia possibilia, quæ non attingit scientia Christi; & inde fuit prima responsio ad 2. Sequelam argumenti. Cum enim sit omnino eadem scientia simpliciter intelligentiæ, & visionis in Deo; qui sola existentia attingit objectum ejus adæquatam, & consequenter non comprehendit illam. Altera solutio est, quod objectum adæquatam scientiæ visionis, quatenus in Deo, non sint tantum omnia existentia quoad an est, sed etiam quoad quid est, ad quæ non se extendit scientia Christi æquali perfectione, ac scientia Dei, utpotè longè minori claritate, & penetratione pollens, ut dictum est ex D. Thom.

Obj. 3. Anima Christi non potest cognoscere actu infinita; atqui intellectiones, & affectiones Angelorum, & hominum per totam æternitatem sunt infinitæ: ergo. Prob. Ant. 1. Cognoscere infinitum repugnat definitioni infiniti: ergo. Prob. Ant. Infinitum definitur a Philosoph. 3. Ethic. cujus quantitatem accipientibus semper est aliquid extrinsecum: ergo. 2. Infinitorum scientia est infinita: atqui scientia animæ Christi non est infinita: ergo. 3. Infinito non potest esse aliquid majus; atqui plura continentur in scientia divina absolute loquendo, quam in scientia animæ Christi, ut dictum est: ergo. R. N. Ant. (*ib. art. 3. ad 1.*) Ad prob. 1. D. Ant. Cognoscere actu infinitum ad modum cogniti, seu infiniti repugnat definitioni, C. Cognoscere actu infinitum ad modum finiti, seu cognoscens, repugnat, &c. N. Ant. Igitur infinitum quantitative, si accipiatur pars post partem in actu, sicut est impertransibile tam realiter, quam secundum designationem, ita est impertransibile secundum cognitionem, & ideo dicitur, quod ut sic sit ignotum, & implicat, quod pertranseundo cognoscatur. Sed, sicut materialia possunt accipi ab intellectu immaterialiter, ita infinita possunt ab intellectu accipi non per modum infiniti, sed quasi finitè, ita ut ea, quæ sunt in seipsis infinita, sint intellectu cognoscens finita. Et hoc modo anima Christi scit infinita, in quantum scit ea non discutendo per singula, sed per unam speciem, & prout in aliquo uno scilicet Verbo existunt, seu præsentantur. Ad 2. Probat. (*Ibid. ad 2.*) Ant. D. Maj. Infinitorum secundum essentiam scientia est infinita, C. Maj. Infinitorum secundum aliam rationem, sed finitorum secundum essentiam, scientia est infinita, N. Maj. Scientia enim dicitur finita, vel infinita ex finitate vel infinitate proprii objecti, & non ex alia finitate vel infinitate. Proprium autem objectum intellectus est quod quid est, seu essentia; & ideo, si essentia est infinita, scientia est infinita; si e contra essentia est finita, scientia est finita. Unde, cum infinita scita ab anima Christi sint finita secundum essentiam (clauduntur enim in aliqua specie) licet infinita secundum multitudinem, non inferunt scientiam animæ Christi esse infinitam simpliciter. Ad 3. Probat. (*ib. ad 3.*) Ant. D. Maj. Infinito simpliciter quoad omnia non potest dari majus, C. Maj. Infinito secundum aliquod determinatum non potest dari majus, Subdistingo, in illo ordine, C. extra illum ordinem, N. Ad explicationem nota, infinitum non esse substantiam, sed accidens rebus, quæ infinitæ dicuntur, & esse proprietatem infiniti, quod infinito non sit aliquid majus. Unde, sicut infinitum multiplicatur, aut coarctatur secundum diversa subjecta, ita necesse est, quod proprietates infiniti multiplicetur, aut arctetur secundum subjecta infiniti, ita ut conveniat unicuique illorum infinitorum secundum idem subjectum: sic proprietates infiniti positi in linea arctatur ad illam, positi in superficie arctatur ad illam superficiem. Sic igitur, si accipiamus unam lineam infinitam, in illa non est aliquid majus infiniti: & similiter, si accipiamus aliam quancumque aliarum linearum infinitarum, manifestum est quod unicuiqueque earum partes sunt infinitæ. Oportet ergo, quod omnibus illis partibus infinitis non sit aliquid majus in illa linea; tamen in alia linea, & in tertia erunt plures partes etiam infinitæ præter istas. Id patet in numeris; nam species numerorum parium sunt infinitæ, & similiter species numerorum imparium, & tamen numeri pares, & impares sunt plures quam pares.


Inst. contra 1. respons. Repugnat, infinita actu produci: ergo repugnat, infinita actu cognosci, alias plus posset cognoscere intellectus, quam Deus posset facere. R. 1. D. Ant. Repugnat, infinita actu produci in propria duratione, C. In nunc æternitatis cum successione in propriis durationibus, N. R. 2. N. Conseq. Multa enim possunt simul cognosci, quæ non possunt simul produci, ut sunt partes temporis, & motus: sic simul

mul cogno sco quatuor quadrantes unius horæ, quæ non possunt simul produci. Non est ergo mirum, si multitudo infinita possit simul cognosci, licet non possit simul produci: & si istud argumentum valeret, probaret, quod nec Deus ipse possit actu infinita videre, quia illa simul producere non potest.

Inst. contra 2. respons. Cognitionis, quæ simul cognoscuntur infinita objecta secundum multitudinem, etsi finita secundum essentiam, debet esse infinita: ergo. Prob. Ant. 1. Cognitionis, quæ duo simul attinguntur, est perfectior illa qua unum solum objectum cognoscitur, & sic deinceps. Unde experientia convincitur, eo majorem requiri attentionem, quo plura cognoscuntur objecta: ergo, quæ se extendit ad infinita objecta, erit perfectioris infinitæ. Prob. 2. primum Ant. Cognitionis, quæ simul attinguntur infinita objecta, æquivaler infinitis cognitionibus ad singula divisivè terminabilibus: ergo est infinita. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Cognitionis, quæ simul duo cognoscuntur per plures species, est perfectior illa, &c. C. Ant. quæ duo cognoscuntur per unam speciem, N. Ant. & eò magis si cognoscatur non ex penetratione cause, sed ex libera Dei revelatione. Sic autem est in Christo, qui infinita futura videt in Verbo per unam speciem scilicet divinam essentiam, quæ, quatenus est speculum sine macula, liberum quidem & non necessarium, revelat quæcumque vult Christo, præterita & futura. Ad 2. Prob. D. Conseq. Ergo est infinitum secundum quid, id est, altioris ordinis, C. simpliciter, R. Unum enim individuum altioris ordinis non solum æquipollet, sed excedit

dit infinita individua inferioris ordinis: sic Sol est perfectior omnibus generabilibus, & corruptibilibus, etiamsi Modus esset æternus: sic homo est perfectior omnibus brutis, etiamsi foret infinita secundum numerum. Unde, cum visio beatificat sit superioris ordinis ad singulas visiones quarumcumque singularium in infinitum, æquipollet illis; imò excedit illas, absque eo quod sit infinita simpliciter.

Obj. 4. D. Thom. art. 3. concedit tantum animæ Christi cognoscere infinita in potentia, quatenus comprehendit potentiam creaturæ, in qua infinita in potentia continentur; quam scientiam dicit esse per modum simplicis intelligentiæ, negat autem expressè eam cognoscere infinita actu. R. S. Thom. loqui de infinitis substantiis, quæ non sunt infinitæ nisi in potentia etiam per totam æternitatem; non de infinitis accidentibus maxime spiritualibus, quales sunt intellectiones, & affectiones hominum & Angelorum, quæ per totam æternitatem sunt infinitæ actu, non hoc sensu quod omnes existant simul in propria duratione, sed quod æternitas indivisibilis extendatur ad omnes. Patet 1. ex ratione, quam affert S. Thom. quia, inquit, *non sunt infinita actu...eo quod status generationis, & corruptionis non durat in infinitum. Unde est certus numerus non solum eorum (scilicet, substantiarum permanentium) quæ sunt abque generatione, & corruptione, sed etiam generabilium, & corruptibilium*. 2. Quia S. Doctor art. 2. præced. ad 2. dicit, animam Christi scire quæcumque scit Deus scientia visionis; scit autem Deus infinita actu, ut docet t. p. q. 14. art. 12.



DISSERTATIO XI.  
DE SCIENTIA CHRISTI INFUSA.

Div. Thom. Quest. 11.

ARTICULUS I.

*Utrum in Christo fuerit Scientia infusa præter beatam?*

Nota 1. Objectum posse cognosci, vel in Verbo, vel in seipso. Cognoscitur in Verbo per scientiam beatam; cognoscitur in seipso immediate per scientiam infusam, vel acquisitam. Nota 2. scientiam non secus, ac virtutem dupliciter dici infusam, per se scilicet & per accidens. Infusa per se est illa, quæ non nisi a Deo causari potest; infusa per accidens est illa, quæ propriis actibus potest acquiri, de facto tamen non acquiritur, sed a Deo solo infunditur; & est ejusdem speciei cum acquisita: talis fuit, v. gr. Adami scientia, quam Deus ipsi ab initio indidit. Nota 3. Animam rationalem esse capacem dupliis status, nempe, conjunctionis ad corpus, & separationis ab illo; & in utroque statu speciale habere cognoscendum modum connaturalem. In statu conjunctionis cognoscit per conversionem ad phantasmata a sensibus hausta. In statu separationis cognoscit per species infusas, sicut Angeli, quia tunc deficient organa ad deprehendas species.

Dico: (*Hic q. 9. art. 3. 6.*) Præter scientiam beatam fuit in Christo scientia infusa. Prob. (*Ibid.*) Decebat, ut natura humana assumpta a Verbo imperfecta non esset; atqui, si caruisset scientia infusa, fuisset imperfecta: ergo. Prob. Min. Omne, quod est in potentia, est imperfectum, nisi reducatnr ad actum; atqui anima Christi erat in potentia ad cognoscenda objecta in se, non solum per species a phantasmatibus abstractas, sicut in statu conjunctionis, sed etiam per species a Deo infusas, sicut in statu separationis: ergo. Patet Min. Quia Christus erat non solum viator, sed etiam comprehensor, cui proinde ut tali competeat modus cognoscendi animæ separate per species infusas. Unde ait S. Doctor q. 20. de Verit. art. 3. ad 1. *Cum Christus esset comprehensor & viator, habuit utrumque per modum considerandi; unum, quo Angelis conformabatur, ut sine discursu consideraret; alium, quo per conversionem ad phantasmata.*

Confirm. 1. Intellectus Christi non debuit minus perfici, quam intellectus Angelicus; atqui in Angelis secundum Aug. l. 11. de Civit. c. 7. ponitur duplex cognitio, nã scilicet materialis, per quam cognoscuntur res in Verbo: & alia veritativa, per quam cognoscuntur res in propria natura per species sibi inditas: ergo præter scientiam divinam creatam est in Christo secundum ejus animam scientia beata, quæ cognoscit Verbum, & res in Verbo, & scientia infusa, sive indita, per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas. Confirm. 2. Juxta sæpè traditionem principium, debetur Christo ratione unionis hypostatice omnis perfectio possibilis non repugnans beatitudini; seu fini Theol. Billuart. Pars Tertia.

Incarnationis; atqui scientia infusa est possibilis, nec repugnat beatitudini, seu fini Redemptionis: ergo.

Ex dictis colliges 1. Scientiam infusam Christi se extendisse ad supernaturalia, & naturalia; seu in eo fuisse duplicem scientiam infusam, unam supernaturalem, qua objecta supernaturalia attingebat, alteram naturalem, nempe ex parte objecti, qua objecta naturalia cognoscebat. Evincitur istud corollarium ex omnibus probat. nostræ Conclusionis. 1. Quia anima Christi erat in potentia ad cognoscenda, & supernaturalia, & naturalia per species infusas. 2. Quia scie cognoscitur Angeli. 3. Quia perfectius est multis modis posse demonstrare sive naturalia, sive supernaturalia, quam unico. Id totum & præcedentia docet D. Thom. Opusc. 2. c. 216. his verbis: *Quia nulla perfectio creaturis exhibita animæ Christi, quæ est creaturarum excellentissime, deneganda est, convenienter præter cognitionem, qua Dei essentiam vidit, & omnia in ipsa, triplex alia cognitio est ei attribuenda. Una quidem experimentalis, sicut aliis hominibus, in quantum aliqua per sensus cognovit, ut competit nature humane. Alia divinitus infusa ad cognoscenda omnia illa, ad quæ naturalis cognitio hominis se extendit, vel extendere potest...Sed quia Christus secundum humanam naturam non solum fuit reparatur nature, sed etiam gratia propagator, affuit etiam ei tertia cognitio, qua plenissime cognovit, quidquid ad mysteria gratiæ potest pertinere.*

Dico: Anima Christi per scientiam infusam supernaturalem potest attingere objecta naturalia; licet enim scientia inferioris ordinis non possit attingere objecta superioris ordinis, atamèn scientia superior potest attingere ea, quæ sunt in inferiori ordine, adeoque supernaturalis naturalia, sicut cognitio intellectualis materialia, infinita finitum, increata creatum attingit: ergo superfluit scientia infusa naturalis. R. D. conseq. Ergo superfluit scientia infusa naturalis, ut plura sciantur, C. conseq. ut sciantur alio modo. N. conseq. Erat enim anima Christi in potentia, ut sciret naturalia, nedum per scientiam naturalem acquisitam, nedum per scientiam supernaturalem infusam, sed etiam per scientiam naturalem infusam.

Colliges 2. scientiam infusam fuisse Christo ab instanti conceptionis; tum quia ipsi debebatur ratione unionis hypostatice; tum quia non fuit nobis utile, quod aliquo tempore Christus ea caret. Neque refert, Christum illo instanti habuisse actum visionis beatificæ; non enim repugnat duos actus, quorum alter ad alterum refertur, eique quodam modo subordinatur, esse simul: sic intellectus simul & semel principia cognoscit, & conclusiones ex illis elicit: Ergo pariter potuit anima Christi elicere actum visionis beatificæ, & scientiæ infusæ, quæ ad visionem sequitur, eique quodam modo subordinatur.

Obj. 1. contra Conclusionem. Per scientiam beatam, & natura